



Это цифровая копия книги, хранящейся для потомков на библиотечных полках, прежде чем ее отсканировали сотрудники компании Google в рамках проекта, цель которого - сделать книги со всего мира доступными через Интернет.

Прошло достаточно много времени для того, чтобы срок действия авторских прав на эту книгу истек, и она перешла в свободный доступ. Книга переходит в свободный доступ, если на нее не были отданы авторские права или срок действия авторских прав истек. Переход книги в свободный доступ в разных странах осуществляется по-разному. Книги, перешедшие в свободный доступ, это наш ключ к прошлому, к богатствам истории и культуры, а также к знаниям, которые часто трудно найти.

В этом файле сохранятся все пометки, примечания и другие записи, существующие в оригинальном издании, как минимум о том долгом пути, который книга прошла от издателя до библиотеки и в конечном итоге до Вас.

### **Правила использования**

Компания Google гордится тем, что сотрудничает с библиотеками, чтобы перевести книги, перешедшие в свободный доступ, в цифровой формат и сделать их широкодоступными. Книги, перешедшие в свободный доступ, принадлежат обществу, а мы лишь хранители этого достояния. Тем не менее, эти книги достаточно дорого стоят, поэтому, чтобы и в дальнейшем предоставлять этот ресурс, мы предприняли некоторые действия, предотвращающие коммерческое использование книг, в том числе установив технические ограничения на автоматические запросы.

Мы также просим Вас о следующем.

- Не используйте файлы в коммерческих целях.  
Мы разработали программу Поиск книг Google для всех пользователей, поэтому используйте эти файлы только в личных, некоммерческих целях.
- Не отправляйте автоматические запросы.  
Не отправляйте в систему Google автоматические запросы любого вида. Если Вы занимаетесь изучением систем машинного перевода, оптического распознавания символов или других областей, где доступ к большому количеству текста может оказаться полезным, свяжитесь с нами. Для этих целей мы рекомендуем использовать материалы, перешедшие в свободный доступ.
- Не удаляйте атрибуты Google.  
В каждом файле есть "водяной знак" Google. Он позволяет пользователям узнать об этом проекте и помогает им найти дополнительные материалы при помощи программы Поиск книг Google. Не удаляйте его.
- Делайте это законно.  
Независимо от того, что Вы используете, не забудьте проверить законность своих действий, за которые Вы несете полную ответственность. Не думайте, что если книга перешла в свободный доступ в США, то ее на этом основании могут использовать читатели из других стран. Условия для перехода книги в свободный доступ в разных странах различны, поэтому нет единых правил, позволяющих определить, можно ли в определенном случае использовать определенную книгу. Не думайте, что если книга появилась в Поиске книг Google, то ее можно использовать как угодно и где угодно. Наказание за нарушение авторских прав может быть очень серьезным.

### **О программе Поиск книг Google**

Миссия Google состоит в том, чтобы организовать мировую информацию и сделать ее всесторонне доступной и полезной. Программа Поиск книг Google помогает пользователям найти книги со всего мира, а авторам и издателям - новых читателей. Полнотекстовый поиск по этой книге можно выполнить на странице <http://books.google.com/>



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### **Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### **About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>





*Ammanville de Men...*





<36626441420014

<36626441420014

Bayer. Staatsbibliothek

4<sup>o</sup> aft. P. 241.

Matheſis. Aſtronomica. Stellae fixae 827.



CŒLUM AUSTRALE  
STELLIFERUM;

S. E. U

OBSERVATIONES AD CONSTRUENDUM  
STELLARUM AUSTRALIUM  
CATALOGUM  
INSTITUTÆ,

IN AFRICA AD CAPUT BONÆ-SPEI,

R A NICOLAO-LUDOVICO DE LA CAILLE; *in alma Studiorum  
Universitate Parisiensi Matheſeon Profefſore, Regiæ Scientiarum Academiæ  
Aſtronomo, & earum quæ Petropoli, Berolini, Holmiæ & Bononiæ florent,  
Academiarum Socio.*

---

Laudate Dominum . . . qui numerat multitudinem Stellarum,  
& omnibus eis nomina vocat.

Pſal. 146. v. 4.



PARISIIS,


Sumptibus HIPP. LUD. GUERIN & LUD. FR. DELATOUR,  
viâ Jacobeâ, sub signo Sancti Thomæ Aquinatis.

---

M. DCC. LXIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.





CLARISSIMI VIRI  
 NICOLAI-LUDOVICI DE LA CAILLE  
 V I T A,

Ad Cl. V. JOANNEM-DOMINICUM MARALDI;

*Scriptore GABRIELE BROTIER.*

---

I. **V** IROS, scientiæ ac virtutis societate illustres, post expleta mortalis vitæ fata celebrare eò suavius est, clarissime MARALDI, quòd iis sit vitæ laudabiliter actæ præmium, amicis dulcissimæ consuetudinis amissæ solatium, sæculo futurisque ætatibus recti verique grande simul exemplum ac documentum. His incitatus, amici, quem animi & studiorum similitudo conjunctissimum tibi fecerat, vitam conscribere in me recepi, ut, dum tu ejus scripta ab interitu, ego ejus virtutes ab oblivione vindicarem. Simplex, sincera, modesta erit scribendi ratio, quæ cum optimis mortui moribus conveniat, nec tuis dissentiat.

II. NICOLAUS-LUDOVICUS DE LA CAILLE natus est in Remorum oppidulo, cui nomen Rumignio (<sup>1</sup>), Idibus Martiis, anno Jesu - Christi MDCCXIII. Patrem habuit Ludovicum DE LA CAILLE, matrem Barbaram RUBUY, honestis quidem natalibus, ingenio tamen, quàm fortunâ, meliores. Pater multa variaque stipendia olim meritis, relictis castris, domesticæ vitæ otia

(<sup>1</sup>) Rumigny.

Mathematicis artibus exhilarabat ; iisque intentus , quæ plus haberent utilitatis , quàm curiositatis , Mechanicis animum advertit , & ingenii facilitate multa invenit , quæ in publica comoda cederent.

III. HÆC inter enutritus filius , prævalido in infantium animos parentum exemplo , ad Mechanicas artes adolevit , quarum illi postea fuit usus plurimus cum dexteritate ac subtilitate conjunctus. At , ne mens rudi exercitatione hebesceret , missus est Meduntam ( <sup>1</sup> ) , oppidum Sequanæ expositum , ut ibi politioris literaturæ rudimenta poneret. Vires , propter corporis imbecillitatem , acrioribus studiis impares , ardor animi supplevit. Ibique juvenis primùm sponte , dein impetu , ad literas tractus , brevi ea dedit felicioris ingenii indicia , quæ spes facerent parentibus lætissimas : nova statim addita calcaria.

IV. PARISIOS enim , urbem regni & literarum sedem , missus anno MDCCXXIX , Collegium Lexoviense ( <sup>2</sup> ) intravit , Rhetoricæ destinatus. Acre & fervidum ejus ingenium , naturæ magis quàm præceptoris ductu , quid in juvenilibus studiis sit egregium confestim vidit , firmiterque tenuit. Per duos enim annos pauca scribere , multa legere , plura meditari , idque vel in studiorum ratione observare , ut Gallicis literis non spretis , sed in maturiorem ætatem dilatis , exemplaria , quæ vetus Roma , ingeniorum magis , quàm imperiorum , parens , suppeditat , diu noctuque evolveret , & , quæ oculis perlustraret , animo combiberet. Scilicet certus in elegantioribus literis inutilem operam poni , nisi firma fixaque pulchri imago menti hæreat , illam adeò vividam ex his literarum Principibus accepit , ut licèt postea austera inamœnaque studia secutus , quæ optima essent semper senserit ; & , si fortè quid sibi judicandum , aut scribendum , ingeniosè judicaret , concinnè scriberet : veritatis tamen in scribendo , quàm elegantia , curiosior.

( <sup>1</sup> ) *Mantes-sur-Seine,*

| ( <sup>2</sup> ) *De Lisieux;*

V. **TALI** veritatis amore accensus, ad Philosophiam accessit. In hoc novo studiorum genere ejus industriam acuit vir optimus <sup>(1)</sup>, juventutis moderator, a quo edoctus est Philosophicas ac Mathematicas artes indissolubili fœdere conjungi. Ad utraq; mens statim intenta. Sed vicit natura ad Mathematicas pronior; jamque læta, quòd, quæ cuperet, posset adsequi. Ingenii, ad eas facti, argumentum fuere elementa Euclidis, nullo præeunte magistro, lecta simul & intellecta. Mox ad ingenitam cognoscendi cæli cupidinem profiluit animus. Deerrant præcepta, organa, tempora. Loco omnium fuere siderum fulgor, noctes insomnes, oculorum acies, & insuperabilis sciendi voluntas.

VI. **INTERIM** patrem amisit; eoque extincto, concidit domus fortuna. Tam luctuosâ morte peribant tanta scientiæ molimina & magna naturæ destinatio, ni egregia juvenis indoles, moderatoribus suis probata, patronum reperisset Principem <sup>(2)</sup>, Condæorum sanguine propriâque laude nobilem. Olim in patrem beneficus, filii juventutem sibi commendatam tutatus est: hac unâ gratiâ terram incertum, an cælum, magis sibi auctoraturus.

VII. **PRINCIPIS** enim præsidio adolescens, neque ad superbiam, neque ad inertiam, abuti: sed totum se permittere studiis, quibus jam solis datum vivere. Ne quid etiam in posterum obstaret, se Ecclesiasticæ vitæ addicere, ut sibi & scientiis semper vacaret. Itaque, emenso Philosophiæ curriculo, Theologiam in collegio Navarræo adgredi; eamque Mathematicâ methodo tractare, quæ nihil veritati demeret, multum temporis adderet. Tum tota vitæ ratio in duas partes divisa. Interdiu tractata religionis arcana: noctu inspecta cæli sidera. Per tres annos constans id vitæ genus; nec, nisi improvise casu, quem silere nefas, ruptum.

(1) D. ROBERT, e sodalitia Presbyterorum a Divo Sulpitio nuncupatorum, vir eruditus, & infillandæ juvenum | mentibus pietatis & eruditionis peritissimus.  
 (2) Ducem BORBONIUM.

VIII. MORIS est ut doctrinæ examen instituaturs quo se doctis titulis dignos ostentent Philosophiæ & Theologiæ alumni. Institutum certè laudabile , si semper foret favoris , præjudicatæ opinionis , expers. Pro more ad examen venit juvenis , sui conscius , alienæ laudis incuriosus. Responsis se iudicibus adprobavit. Examinis tamen arbiter , ætate & usu fuetus dialecticas captiones inextricabilibus verbis involvere , nescio quid ex vetere Philosophiâ recoctum interrogavit. Bonum virum barbaramque sapientiam risit juvenis. Arbiter , gravi supercilio indignans , juvenem absouum , scientiæ rudem , Philosophicis honoribus indignum pronuntiat. Ceteri iudices statim reluctari , juvenem laudare , senilem Philosophiæ barbariem incusare , ac tandem ipsam arbitri duritiem flectere , qui , reluctante dextrâ , non amico capiti pileatum doctrinæ insigne admovit.

IX. UT inopina quæque sunt cogitationum fecunda , cœpit juvenis secum reputare hæc honoris insignia , difficulter habita , dein forsan obtentu difficiliora , nihil juvare , plurimùm retardare posse , si conceptam animo Mathematicæ doctrinæ opinionem velit adsequi : se sacris initiatum<sup>(1)</sup> , ea potiri , quibus alatur pietas , non impediatur studia : dignitatis incrementum otio nociturum : Astronomiam , mediocritati infensam , nullam esse , nisi summam : nec fieri summam , ni in eâ sis totus. His victus cogitationibus , Theologiæ valedixit. Quidquid pecuniæ fuerat erogatum , ut Theologicâ laureâ donaretur , in Mathematicos libros impendit , seque totum Astronomiæ adseruit.

X. CUM jam nulla superessent occupationum diverticula , cura fuit lecta reminisci , nova evolvere , singula meditari , observare innumera , certas speculandi , expeditas computandi methodos invenire. His instructus subsidiis , certusque umbraticis studiis doctrinam inchoari , doctorum hominum colloquiis

(1) Diaconus erat ; munerisque officium in ecclesiâ collegii Mazarinæi per plurimos annos obivit. Sacerdotii dignitate , ne ob studia , quæ multum temporis absumerent , minus dignè sustineretur , abstinuit.

perfici , ad Jacobum CASSINI, regiæ arcis speculatoriæ præfidentem , accessit. Viro , scientiâ , modestiâ , humanitate , pietate supra ætatem nostram claro , ut visus juvenis , statim fuit probatus ; nec in laboris tantùm , sed & in contubernii societatem adlectus. Incredibile quantum ei placuerit hæc regia imperii Astronomici sedes. Cum voluptate accrevit ad summa enitendi ardor , tuis , Clarissime MARALDI, (nec tibi sit pudor audire , quæ fecisse decorum , mihi honestum scribere , omnibus gratum legere) tuis , inquam , exemplis , consiliis , amicitia , tunc cœpta , nunquam interruptâ , incensus.

XI. TE DUCE , ardor ille ; tardi moliminis impatiens ; in publicam utilitatem erupit. Oras enim maris a Nannetibus Baionam usque describere jussi , illas tam curiosè relegisti , ut per CCLX passuum millia terrarum alta , ima , plana , devexa , cava , hiulca , maris accessus , recessus , meatus , flexus , sinus , anfractus curatè adnotaretis , Geographiæ decus , arti nauticæ securitatem addituri. Anno MDCCXXXVIII inchoata , te auctore , hæc amici tui celebritas , quam deinde per quatuor & viginti annos novis laboribus , novis in dies successibus auctam vidisti , tuisque gratulationibus ac suffragiis incitasti.

XII. INCREMENTA dedit sequens annus. Jacobus enim CASSINI, priore successu invitatus , juvenem , publico bono natum , operi diu expetito destinavit. Res paulo superiùs repetenda. Munificentia LUDOVICI XIV , majestatem imperii & consiliorum sublimitate , quàm victoriarum celeritate , majoris , Astronomiæ ex Italiâ in Galliam evocatâ , plurima duraturæ laudis & utilitatis opera fuere suscepta. Hæc inter memorabilis exstitit meridiana linea , quam anno MDCXC Astronomiæ antistites a Septentrionali regni fine ad Australem per regiam arcem speculatoriam Parisiensem duxere. Ut magnis animis cœptum opus , magnis quoque absolutum. Sed novitas operis , & rudis adhuc organorum fabrica , omnem erroris suspicionem haud effugere. Retractandum ergo fuit tantorum virorum opus : id.

etiam abhinc annos quinque Minister regius <sup>(1)</sup> efflagitaverat. Laboriosæ expeditioni præfectus est Cæsar-Franciscus CASSINI DE THURY, cui juvando haud impar visus juvenis DE LA CAILLE.

XIII. ITINERUM avia ; tempestatum dura ; hospitorum horrida , dies laboriosos , noctes observando , scribendo , infomnes , referre piget. Neque eques e Pyrenæis montibus in torrentem præceps actus , diuque delitescens , post enatans , mutarâque veste , statim ad studia redux , neque hiemis , quæ anno MDCCXL sæviit , atrocitas , quidquid discriminis aditum est , satis expresserint. At meminerint harum rerum periti vividam juvenis mentem , boni publici capacem , suscepti operis naturâ summorum virorum non judicem tantum , sed emendatricem , vel in summâ modestiâ magni nominis initia prospectantem , & quantum , ut opus succederet , fuerit sudatum facillè judicaverint.

XIV. NEC fefellit præjudicatæ famæ opinio. Nam medios inter operis labores , procul ab urbe , sideribus , quàm hominibus , notior , sine ambitu , & fortè infcius , IV Calendas Novembres , anno MDCCXXXIX , a summo Collegii Mazarinæi moderatore <sup>(2)</sup> electus est ut vacuam Mathematicæ scholæ cathedram occuparet. Sedem hanc , celeberrimi Petri VARIGNON nomine adhuc plenam , a juvene , quinque & viginti annos nato , occupatam nemo stupuit , nemo invidit , omnibus approbavit exitus , ubi primùm , obitis per Provincias laboribus ad adstruendam meridianæ lineæ veritatem , docendi munia sub finem anni MDCCXL adire licuit.

XV. TUM vidère scholæ Parisienses veram optimi magistrî imaginem , in omnibus disciplinis raram , in Mathematicis rarissimam. Securus enim adversus communia magistrorum vitia ; qui , vel doctrinâ superbi , meditatione taciturni , discipulorum

<sup>(1)</sup> D. ORRY , ærario præfectus.

<sup>(2)</sup> D. ROBBE ; viro supra candidato- | rum preces , & patronorum superbiam  
posito.



mentes deterrent , vel incitiâ audaces , ineptiâ garruli , eas deterunt , ipse discere semper , ut foret ad docendum paratior : quidquid sciret , in publicos usus transfundere : Mathematicas veritates seligere , ordinare , ad auditorum intelligentiam accommodare : ita explicare , ut , an statim , an penitus caperentur , attenderet : retractare , donec omnibus obvias videret : sic omnibus publicè consulere : privatim verò ad colloquia , quos difficultatibus irretitos , aut scientiæ amore succensos persentisceret , invitare : exteris æquè , ac familiaribus , facilis.

**XVI.** HÆC jugis fuit , nec per tot annos unquam intermissa , docendi ratio ; quam ut expeditiorem utilioremque redderet , in perpetuis scholarum scriptionibus maximam temporis jacturam esse gnarus , sub finem anni lectiones suas Mathematicas typis mandari curavit. Sed a lucro abhorrens , eas impensis suis (licèt tenuissimâ uteretur fortunâ) edidit : pauperibus auditoribus gratis elargitus est ; ditiores ipsâ pretii vilitate , quæ vix mediam ejus partem æquaret , ad studium provocavit.

**XVII.** NUNC verò tot magisterii curas reputans , quis existimet eas fuisse minimam laboriosæ vitæ partem ? Interea tamen ad numerorum severitatem revocabatur quidquid mensurarum pro meridianâ lineâ fuerat peractum. Sideralis specula in collegio Mazarinæo attollebatur. Apud artifices , magistri consiliis & ductu , Mathematica cudebantur organa , accuratissimè dividebantur. Honos ipse , tot hominibus laborum finis , novorum necessitatem & cupidinem illi indidit. Vix enim hoc anno **MDCCLXI** , **IV** Calendas Maias , Regiæ Scientiarum Academiae fuit adjunctus , & Astronomiæ addictus , cùm quid pro eâ perficiendâ posset suscipi , cœpit cogitare. Verùm , antequam quid viderit , quid egerit , referam , Astronomiæ vices ejusque statum priùs expediam.

**XVIII.** ASTRONOMIA , cæli benignitate Chaldæis primum culta , inde Ægyptios , Indos , Sinas , Phoenices , vete-

resque populos pervagata, ad Græcos devenit, rudis adhuc, nec nisi magnis cælorum conversionibus siderumque deliquiis celebrata. Hi, sucti inventis addere, cælorum vastitatem completi: magnum doctrinæ instrumentum, Signiferi <sup>(1)</sup> obliquitatemprehendere: stellas annumerare; earum loca & magnitudines signare: multivagos errantium siderum cursus variasque stationes definire: Cometas ipsos observare. At innatâ gentis vanitate citò corrupta ars; nec tam stata temporum spatia, quàm fallacia vitæ & fortunæ signa in cælis quæsitâ. Scientia sic adulterata transit ad Romanos, cæli capaces, utpote qui Cometas esse mundo æquales intellexerunt. Verùm ambitio & avaritia, solita regnorum vitia, artem perditum iere, cùm magis juvaret per genethliacas fraudes ad opulenta scelera emergere, quàm per eruditâ observationes ad cælum eniti. Crevit superstitio Arabum deliriis & victoriis superba. Astronomia, has inter tenebras diu eluctata, per varia Europæ regna cælestibus animis, nondum tamen superstitione penitus absolutis, adfulsit; ac tandem, Italis Germanisque, duce Keplero, auxiliantibus, pura nitidaque in lucem evasit. Hanc communibus studiis excepere Galli & Angli, altâ cogitatione, jugi mutuâque observatione, peregrinatione multiplici, infinitis experimentis, non tantùm cælorum motus ac mensuras, sed rerum causas magnumque mundi arcanum, auspice Newtono, indice Bradleio, investigare ausi.

XIX. HIC Astronomiæ status, cùm cæli interpres Academia suffragiis destinatus est clarissimus DE LA CAILLE. Ut sui specimen daret, eosque, quos operis socios optabat, juvaret, differentiarum computationem ad trigonometriam sphericam applicandi rationem demonstravit. Anglicum quidem inventum <sup>(2)</sup>, sed antè paucis notum, intellectu difficillimum, nunc verò demonstratâ methodo, expeditum, Astronomis omnibus obvium, & adversus quoscumque errores tutissimum.

<sup>(1)</sup> L'Ecliptique.

<sup>(2)</sup> A Rogerio Cotesio excogitatum. Exstat in libro, cui titulus: Rogerii Cotesii Harmonia Mensurarum, & ejusdem Opuscula

Mathematica, ex recensione Roberti SMITH. Cantabrigiæ. 1722. in-4°. Inter hæc opuscula unum est inscriptum: *Æstimatio errorum in mixtâ Mathefi.*

XX. POST Hipparchi æmulus, minore impendio, utilitate maximâ, non mille sexcentas, quod olim prodigiosum videbatur, sed omnes cælorum stellas numerandi viam aperuit; remque, quam Veteres *Deo improbam* dixere, ipse tironibus facilem fecit. Tantùm valet unius hominis mens! nec ipsa, dum nos non laboris fatias, non desperatio capiat, humanæ capacitatis terminus.

XXI. INFINITA foret historia, si singulis annis excogitatas, & semper compendiarias, seu perplexos Cometarum motus divinandi, seu locum, in quo Sol a terrâ magis distat, determinandi, seu figurandi *projectiones sphericas* (nova enim narranti novis utendum verbis) cum minimis partium scrupulis congruentes, & omnibus Solis & stellarum, intercedente Lunâ, occultationibus accomodatas, methodos recenserem; si innumeras stellarum & siderum observationes, repertæ veritatis testes, referrem. Hæc omnia exstant in Regiæ Scientiarum Academiæ actis publicæ utilitati & æternitati consecrata.

XXII. DUO tantùm ad virtutis commendationem memorare juvat. Alterum discipulorum curâ laudabile. Præceptor enim optimus, de eorum progressu semper sollicitus, tot inter labores in publicum emisit Mechanicæ, Opticæ, & Astronomiæ elementa, capitulatim quidem, non tamen cursim exposita; sed quidquid hætenus inventum, & quod ad inflammandos juvenum animos optimum, quid quærendum, quid inveniendum superet, strictim complexa. Alterum verò alienæ gloriæ studio, propriæ negligentia, mirabilius. Tum enim singulos Solis ac Lunæ ab ortu Jesu-Christi ad annum MDCCC defectus ad accuratissimam computationem revocavit, ne mancus ac mendax foret liber (¹), qui explorandæ temporum veritati parabatur: iter viri eruditi (²), de artibus optimè meriti, qui Fortunatas insulas (³) luf-

(¹) L'Art de vérifier les Dates des faits Historiques, des Chartes, des Chroniques & autres anciens monuments depuis la naissance de Notre-Seigneur. Par des Re-

ligieux Benedictins. Paris. 1750. in-4°.

(²) P. FFUILLÉE, ex Minimorum ordine.

(³) Les Isles Canaries.

traverat, in Academia bibliothecâ adſervatum, ſed occultum, breviter doctèque expoſuit, ut Aſtronomis & Geographis claſceret: Waltheri aliorumque obſervationes, vetuſtate antiquatas, Aſtronomiæ tamen utiliſſimas, publico uſui reſtituit.

XXIII. TOT vigiliis illuſtrata pars cæli Septemtrionalis : ſed adhuc obſcura erat pars Auſtralis. Mens irrequieta, ni totum ſibi pateret cælum, iter ad Caput Bonæ-Spei, præcipuam Batavorum in Africâ ſedem, meditata eſt. Conſilium ſibi glorioſum, omnibus utile, laudavit Academia, probavit Miniſter regius<sup>(1)</sup>, cujuſcumque egregii publici fautor, magno animo fovit Batavorum reſpublica.

XXIV. UBI ſic læta fauſtaque viſa ſunt omnia, ne, ut pleaque conſilia, apparatu maxima, ſucceſſu minima, hoc quoque vaneſceret, cogitationes præmiſit Clariffimus DE LA CAILLE, & quantum Aſtronomiæ in Africâ poſſet conſulere prævidit. Nec jam uni ſtellarum cenſui intentus, ſtatuit etiam Lunæ, Martis, ac Veneris parallaxin inquirere. Verùm cùm ad id muris ſibi que reſpondentibus obſervationibus opus foret, ſtudio- rum ſuorum confortes<sup>(2)</sup> quid pararet publico ſcripto monuit; & ne multùm operæ impenderent, addidit notas ſiderum, ſtellarum, locorum, dierum, ut ad ea, quæ erant obſervanda, protinus accederent.

XXV. TUM compoſitâ curtâ ſupellectile; paratiſque organis, itineri ſe accinxit. At Miniſter regius, ſuetus importunis concurſationibus poſtulationibusque obniti, miratur ſe non adiri,

(<sup>1</sup>) D. D'ARGENSON.  
 (<sup>2</sup>) Quorum præcipui, & literarum commercio ſociati, fuere Londini CII. BRADLEY, BEVIS, & MORTON eruditis omnibus ob humanitatem, nobis ob præſtita ad editionem C. Corn. Taciti, quam adornamus, egregia officia cum gratâ animi teſtificatione ſemper memorandus: Petropoli CII, MULLER & GRIS-

CHOW: Amſtælodami Cl. STRUICK: Stockholmie Cl. WARGENTIN: Upſaliæ Cl. FERNER: Gottingæ Cl. MAYER. Plurimi quoque e Societate Jeſu Mathematici: Romæ P. BOSCOVICH: Vindobonæ PP. HELL, LIESGÆNIG & SCHEFFER: Florentiæ P. XIMENEZ: Maſſiliæ P. PEZENAS: Lugduni P. BÉRAUD: Pechini PP. GAUBIL & BENOIST.

nihil peti. Tanto parsimoniae exemplo magis, quàm aliorum precibus, motus, mittit CLXXXIV aureos <sup>(1)</sup>, & libellum, quo sponse, necessaria in posterum provideantur. Accepta pecunia in comparandis novis amplioribusque organis, tum ob Astronomiae utilitatem, tum ob artificis, cui erant oneri, levamen, statim expensa est.

XXVI. Mox non ditior, sed scientiae instrumentis gravior, die XII Calendas Novembres, anno MDCCL, Parisiis proficiscitur; solus extrema Africae petiturus, ni juvenis quidam artifex <sup>(2)</sup>, humanitate & artis suae studio animatus, se comitem fore exorasset. Oriente, portu apud minores Britannos propter Societatis Indicae commercia non incelebri, solvere XI Calendas Decembres, rectore navis, cui nomen *Gloriosa*, viro <sup>(3)</sup>, non magis quàm decet, sed quàm solitum est, Mathematicis artibus exculto. Tali duce, lætum fuit iter, gratæque observationum (longitudinum imprimis & latitudinum) varietate recreatum. Ad Caput Bonæ-Spei XIII Calendas Maias anni MDCCLI perventum est.

XXVII. NIHIL mollitiei, nihil corpori datum. Sed statim fatigato loci præside <sup>(4)</sup>, ceterisque primoribus <sup>(5)</sup>, quos omnes ne optari quidem meliores amicioresque licuit, e navi Mathematicam educere sarcinam: adlaborantibus Batavis, extruere Astronomicam speculam: aptare organa: nova condere; totamque machinarum vim in novum cælum, tanto apparatu expugnandum, dirigere. Opus, Atlanticis laboribus majus, VI Idus Maias coeptum.

XXVIII. PURA quidem & serena erat cæli facies. Sed vulturnus <sup>(6)</sup>, ventus in hac orâ frequens, admirationem simul &

(1) Ut vulgò loquimur libras Gallicas 4000.

(2) Nomine RÉTAIL.

(3) D. DAPRÉS DE MANEVILLETTE, auctore libri optimi, cui titulus: *Le Neptune Oriental*.

(4) D. TULBAGH; ob humanitatem egregiaque officia & optimam voluntatem plurimum laudando.

(5) DD. BESTIER, RUYTER, MULLER, &c.

(6) Nobis *le vent de Sud-Est*.

terrorēm intulit. Hoc enim vehementiùs flante, sidera visa crescere, falire: Luna, undante quasi fluctu, tremere: stellæ ipsæ, Cometarum modo, in speciem barbæ comæve promitti. Ni fuisset mens plurimo observationum usu exercitata, longæ spes subitam in desperationem vertebantur. At ipsâ difficultate crevit animus; diuque cum naturâ luctatus, eam superavit. Nam haud ita falire sidera, brevioribus organis: iisque adversus ventum munitis, quod supererat tremoris imminui, penitusve tolli.

XXIX. TUM victor Astronomus, CXXVII noctibus vigilatis, Australi cælo dominari; ibique, quod ferme incredibile plus quàm decem millia stellarum<sup>(1)</sup> dinumerare, nec minori laude eas in ordinem redigere. Quippe Veteres, anilibus fabulis ludificati, cælum sibi cognitum monstris oppleverant. Post a Recentioribus nomina Principum suaque sideribus inserta. Astronomus supra fabulas, adulationem, vanitatemque erectus, organa, quibus naturam vincere docuit recens Philosophia, per cælum ire iussit, eorumque nomine cælestia signa vocitari: nullâ præmiorum spe, nullâ sui ostentatione, sed magnâ scientiæ commendatione.

XXX. PARI successu Luna, sidus contumax, Mars igneus, Venus rutilans, Sol ipse radians, exploratâ eorum parallaxi, victori parere iussa. Expletâ jam itineris destinatione, necdum instante reditu, ne quid temporis utilitati publicæ periret, improbum aliud ausum tentatum est, quasi puderet cælorum vastitatem scrutari, & terræ mensuram non agere. Hanc quidem aliquot antè annis numerosa eruditorum virorum caterva, annuente LUDOVICO XV, fautore artium munifico, magnis laboribus, magnis impensis, in Europâ Americâque peregerant, uno gradu sub Æquatore, altero sub poli Arctici circulo, dimensis. Nondum tamen compertum erat utrum in parallelis orbis Australis gradibus eadem esset mensuræ ratio. Id inquirere ad-

(1) Vide in *Cæli Australis Stelliferi* | MARALDI) qui earum numerum & ordine monitum editoris (Clarissimi | dinem ritè digessit.

gressus est vir unus ( <sup>1</sup> ), duce tantum & interprete amico hospite ( <sup>2</sup> ), socio juveni artifice suprâ memorato, famulantibus fervis rudi ingenio magis, quàm nigro colore, humani ritûs degeneribus, per solitudines, per arenas, per montes, per mare, per pruina, per imbres, per grandinem atroxque frigus, adversus morbos, fatigationis sævæque tempestatis comites, unâ diætâ defensus.

XXXI. HAUD irrita fuit improbi laboris spes. Exactâ enim a loco, cui nomen *Klip-Fonteyn*, ad Caput Bonæ-Spei pedum CCCCXMDCCCXIV mensurâ, basique XXXVIII MDCCCII pedum ter ad examen revocatâ, novum patuit naturæ arcanum; scilicet parallelus gradus latitudinis Australis ( <sup>3</sup> ) non habere radios æquales parallelis gradibus latitudinis Septentrionalis: novo argumento naturam esse miraculis involutam, nec in sui manifestationem nisi assiduis experimentis evincendam.

XXXII. DUM hæc aliaque terræ & cæli prodigia explorantur, ac veterator ( <sup>4</sup> ), qui Europæ mendacia venditaverat, coarguebatur, e Galliâ venêre naves, quæ non redditum, sed in insulas Francicam & Borboniam ( <sup>5</sup> ) profectioem, nuntiavere, ut harum positus Geometricâ methodo determinaretur. Supervacua quidem erant hæc jussa, cùm vir ( <sup>6</sup> ) in omni observationum diligentia mirus, id priore anno perfecisset. Ne quid tamen peccaretur in regiam majestatem, cujus mandata laus est exequi, non scrutari, obtemperatum est; variaque in his insulis observata.

XXXIII. INTERIM curiositas, moras pati nescia, Astronomos

( <sup>1</sup> ) A Cl. DE LA CAILLE cœptum opus ineunte Septembri, absolutum exeunte Octobri, anno 1752.

( <sup>2</sup> ) D. BESTIER.

( <sup>3</sup> ) Versus trigésimum tertium latitudinis Australis gradum reperit terrestrem gradum consistere pedibus 342222.

( <sup>4</sup> ) Petrus KOLBE, qui Capitis Bonæ-Spei descriptionem mendaciis squallidam commentus est. Multò adhuc deterior interpretatio Gallica quæ prodiit anno 1741.

( <sup>5</sup> ) *L'Isle de France, l'Isle Bourbon.*

( <sup>6</sup> ) D. D'APRÉS DE MANEVILLETTE, jam laudatus suprâ num. XXVI.

in Europâ tantò acriùs urebat, quod non modò quid in Africâ repertum, sed quid ipsi mutuis observationibus invenissent, scire percuperent. His consultum voluit Academia, & observationes epistolis ex Africa acceptas publicavit. Verùm, uti adsolet, haud imminutum mutis literis desiderium, sed irritatum, unâ scriptoris præsentia levandum. Tam diu, tam multis desideratus, tandem rediit Parisios IV Calendas Quintiles, anno MDCCLIV, spretâ magnâ pecuniæ vi<sup>(1)</sup>, quæ redeunti oblata, ut suam portiorum immunitatem cum viro lucri, quàm gloriæ, cupidior, communicaret: ac in diuturno quatuor ferme annorum itinere pro se artificeque comite, nobis sæpiùs dicto, expenderat tantùm quinquaginta sestertia<sup>(2)</sup>. Quæ quidem minuta nos referre nemo queratur, cùm iis pateat honestissimum pariter & frugalissimum hominis ingenium, ævo pecuniæ & deliciarum avido minimè silendum.

XXXIV. UBI primùm ejus reditus innotuit Parisiis, omnes ventitare: amici adventum gratulari: Astronomi externa quærere, sua narrare: curiosi vanique portenta, Veteribus Recentibusve celebrata, interrogare, laudare, mirari, ingentes fortunæ spes, itineris præmium, oggerere. Ille, verborum parcus, nec fortunæ anxius, amicis benevolentiam rependere: cum Astronomis scientiam communicare: curiosos vanosque silentio modestiâve premere: mox claritudinem suam dolens, tria summa, quæ sunt sapienti inimica, auctoritatem, fortunam, famam deprecari: secessum etiam ex urbe cogitare; ut procul a turbâ, clam, in aliquo Occitaniæ aut Provinciæ<sup>(3)</sup> angulo, liberiore purioreque cælo, totus sideribus hæreret.

XXXV. RESTITERE amici; vicitque publica utilitas. Sed pristinæ consuetudinis retinens, & contra blanda & in vanitatem trahentia urbis vitia obfirmatus, mediâ in urbe solitudinem sibi

(<sup>1</sup>) Illi oblata, ut vulgò loquimur, 100000 libræ Gallicæ.

(<sup>2</sup>) Rotundè dictum. Tota enim itineris per quatuor annos expensâ, per

soluto etiam comitis artificis famulatio, fuit tantùm librarum Gallicarum 9144. cum assibus 5.

(<sup>3</sup>) *Le Languedoc, la Provence.*



facere: cum amicis, cum discipulis; cum Academiâ versari: superbis abstinere liminibus: concursationes ad divitias euntium horrere: in seipsum suaque studia recedere. Tum, post vindictam meridianæ lineæ diligentiam, ab erudito viro (¹) subtiliùs, quàm veriùs, impugnatam, retractata singula per peregrinationem observata, & ad publicos usus disposita. Primùm summam totius itineris breviter prodidit. Deinde ad peculiaria progressus, mutuas Astronomorum observationes cum suis contulit, & incredibili sagacitate Solis, Lunæ, Martis ac Veneris parallaxes definivit (²). Mox, experimento edoctus, sidera præter latitudinis differentiam pro diversâ adhuc aeris densitate aut levitate, calore aut frigore, siccitate aut humore, sublimiora humiliorave videri, accuratissimas *refractionum* leges, quibus vera siderum altitudo notesceret, condidit. Demum, perplexiora secutus, inveniendæ, dum navigatur, longitudinis, Lunâ duce, suâ experienciâ teste, viam, vel Mathematicarum artium rudibus facilem, aperuit. Atque, licet difficultate, quæ tot torfit ingenia, non penitus superatâ, tamen imminutâ, humanitati egregiè consuluit.

XXXVI. FAMA viri, bono publico nati, tot laboribus per Europam diditâ, celeberrimæ Academiæ (³) Institutum Bononiense, quod multis antè annis præiverat, æmulatæ, eum in dignitatis suæ societatem adscivere, ut ipsæ in ejus laudis partem venirent. Singulæ magnificis verbis suam admirationem & venerationem testatam voluere. Regia Academia Parisiensis, cui nihil supererat novæ dignitatis, quod conferret, annuam dedit pecuniam (⁴): munus, in quo parum fortunæ, sed honoris plurimum; aliquot pòst annis adhuc auctum (⁵).

XXXVII. MENTEM jam alacrem incitavere tanta suffragia.

(¹) D. EULER.		(³) Petropolitana, Berolinensis, Göttingensis, Holmiensis. Institutum Bononiense præiverat anno 1745.
(²) Ex omnibus istis observationibus inter se collatis definivit Solem habere parallaxin $9'' \frac{1}{2}$ . Lunam $56' 56''$ . Martem in oppositu $26''$ . Venerem $38''$ .		(⁴) Libras Gallicas 500.
		(⁵) Libris Gallicis 400.

Ac tandem anno MDCCLVII prodiit opus per decem annos elucubratum, non mole, sed rerum magnitudine & veritate ingens. In eo enim, veterum Astronomorum laboribus minimè per invidiam elevatis, sed errorum suspectæque fidei causis breviter demonstratis, *Astronomiæ Fundamenta* novissimis & indubitatis Solis & stellarum observationibus stabilita. Ne quid etiam in posterum desideraretur, additæ anno sequenti *Tabulæ Solares*, invictâ Astronomicæ mentis pertinaciâ usque ad decumas secundæ partes protractæ: ipsaque siderum gravitas, quæ Solis motum disturbat, per scrupulosas computationes in iis provisa.

XXXVIII. Vix in lucem exierat immensæ diligentæ opus, cum Petrus BOUGUER, operis adprobator simul & auctoris amicus, studiorum atque animorum consortio pridem conjunctus, mortem obiit XVIII Calendas Septembres, anno MDCCLVIII. Doloris acerbitatem auxit suprema morientis voluntas, qui scripta sua, carissima pignora, amico superstiti commendaverat. Quantâ diligentîâ ei obsecundaverit testatur tum opus ejus *de Luminis Gradibus* diligentissimè editum, tum ejus *de Navigatione* tractatus, quem vel per compendium duplo majorem fecit, & ad plures facilioresque usus disposuit.

XXXIX. EADEM pietate motus, alias mortuorum reliquias, sibi haud ita caras, sed Academiæ creditas & Astronomiæ utiles, ne oblivione situve perirent, curavit. Inde e tenebris erutæ GUILIELMI<sup>(1)</sup>, CATTORUM<sup>(2)</sup> Principis, Astronomicæ observationes diu oblitteratæ. Inde cum erudito orbe communicata Orientis monimenta, Ægypti miracula, quæ LUDOVICI XIV jussu olim illustraverat Joannes-Matthæus DE CHAZELLES.

XL. HÆC subsecivis horis deproperabat, oculis in cælum

(<sup>1</sup>) Guilielmus IV, Cognomento *sa-* inter eruditos sæculi XVI. Principes me-  
*piens*, ob literarum atque imprimis Astro- ritò annumerandus.  
nomiæ, quæ tum reviviscebatur, studium, (<sup>2</sup>) *La Hesse*.

semper

femper intentis , ne quid clanculùm fugeret. Dignum tantâ assiduitate apparuit spectaculum , cùm refulsit anno MDCCLIX Cometes , unicum hæctenus , sed tandem evidentissimum , ut probavit , argumentum perpetua hæc sidera suo ire ambitu , & ut cetera errantia , si Astronomis per plurima sæcula non defuerit constantia , in cælestem nomenclaturam ventura. Duos alios Cometas vidit & descripsit anno MDCCLX , quorum alter celerrimi motûs VI Idus Januarias gradus ferme quadraginta intra viginti quatuor horas percucurrit. Artis periti sidus hoc multò propiùs , quàm Lunam , terris propinquasse contendebant. Imperiti , sibi suisque paventes , terras Cometis elidendas exurendasve jam fremebant. Ipse falsas conjectationes , insanos terrores , ratione demonstrationum semper invictâ repressit. Quodque incredibile videbatur , retrogatos Cometas , in eâdem , ac Lunam , distantia , viso sidere multò velociores esse posse omnibus certum fecit.

XLI. CÆLOS ita scrutantem mortalitatis admonuit acris podagra. At laborum patientiâ & recti conscientiâ adversus morbos & mortis timores securus , nihil studiorum remisit. Tantò etiam acrior , quantò longa spes incertior , loca stellarum , quæ Zodiacum tenent , novis observationibus signare adgressus est. Opus aliud maximum animo concepit , quo singulas Astronomiæ ætates describeret ; veteres recentisque observationes , ævo teste , retractaret & inter se componeret <sup>(1)</sup> ; organorum , quorum ope referata tot naturæ arcana , fabricam & usus doceret. Ac ne urbis tumultu avocaretur , obtinuit in regiis Vincennarum ædibus habitationem , in quâ secretior liberiorque viveret.

XLII. DUM Astronomicus apparatus ibi instruitur , diu expetitur Australium stellarum catalogum , ad strictas Astronomiæ leges elaboratum , typis mandare cœpit <sup>(2)</sup>. Simul *Ephemerides*

(<sup>1</sup>) Quantum hac in re valeret , quantumque damni mors ejus præpropera attulerit , satis indicat oratiuncula , quam ultimo Ephemeridum suarum cælestium volumini subtexit , hoc titulo : *Discours sur les progrès que l'Astronomie a faits depuis une trentaine d'années.*

(<sup>2</sup>) Editionem absolvit Clarissimus

*Celestes* (1), cum maximâ tum Geographiæ, tum rei nauticæ utilitate ante viginti annos inchoatæ, ad novum decennium continuabantur. Nec in tantis occupationibus cessata scholarum & Academiæ munia. Immo his, quasi relaxatione, usus, maximam noctis partem observationibus dabat, vel frigidissimo hiemis tempore, positu corporis tam incommodo, ut resupinus stellas capiti imminentes per tres continuas horas suspiceret, & quandoque frigore torpens ægre surgeret.

**XLIII. VALETUDO**, olim laboribus firmata, his tandem fracta, succubuit sub finem hiemis, anno MDCCLXII. Tum enim sanguis ardescere, gravescere caput, renes incurvescere, pigrescere stomachus, oppleri corpus: animus tamen adhuc pertinax reluctari, nec a priscâ studiorum consuetudine moveri. Sed ipse tandem, malorum mole oppressus, fatiscere. Idibus Martiis supervenit Medicina, quæ mala, quiete mitiganda, remediis exasperavit. Sensit æger, morbumque, quem decennio antè ars modica in Africâ levaverat, plurimâ arte in patriâ irritari ingemuit. At mox ut antea, dum valebat, vitæ prodigus, sic in ægrotatione mortis contemptor, suprema sua audacter intueri, audaciùs loqui; nec amicorum medicorumque vanâ spe delusus, lætus æternitatem animo volvere: interim varia disponere, quibus Academiæ observationum suarum diaria committeret, artisque instrumenta, tot eruditorum virorum laboribus suisque nobilitata, restitueret; tibi, Clarissime MARALDI, quod reliquum erat secretiorum chartarum crederet; parentibus modicas, sed gloriosè partas, facultates relinqueret. Dein cunctis Christiani viri officiis summâ cum pietate functus, vim morbi, medicamentis grassantem, vidit impavidus. Incisâ enim ultimùm venâ, gravis incubuit lethargus, quo vitam

MARALDI, hoc titulo insignitam: *Cælum Australe stelliferum*, &c.

(1) Postremum volumen ante Auctoris mortem jam editum, nondum tamen in publicum emissum, catalogo stellarum, in Zodiaco observatarum, auxit Cl. BAILLY; eumque inscripsit: *Catalogue*

de 515 Etoiles Zodiacales, observées en 1760 & 1761, par M. l'Abbé DE LA CAILLE, & réduites au commencement de l'année 1765, par M. BAILLY, de l'Académie des Sciences. Octingentas stellas in Zodiaco observasset Cl. DE LA CAILLE, si mors procrastinasset.

finivit die decimâ Calendas Apriles ; novem & quadraginta annos natus. Ævum breve , si sortem naturæ spectamus ; si labores gloriamque cogitaverimus , longissimum.

XLIV. MORTALES quidem corporis exuvias , plurimis cum lacrimis funeratas , obruit profunda tumuli altitudo : ad notas cælorum sedes evolavit immortalis spiritus. Nos tamen non penitus deseruit , sed manet adhuc magnâ parte sui superstes. Vivit enim , vivetque diu , Clarissime MARALDI , magnarum ejus virtutum memoria. Apud nos publicis laudibus (¹) jam consecrata , apud exteros magis ac magis celebrabitur , cùm audierint virum , quem ob doctrinæ claritatem suspiciunt , quemque vernaculis ejus operum interpretationibus quasi suum fecêre , fuisse eximiis animi & corporis dotibus ornatum , liberali & decorâ facie , fuci nesciâ ; ingenio acri & fervido ; mente firmâ & constante ; vitâ simplice & æquabili ; moribus integerrimis ; religiosum & pium , humanum & officiosum , amicitix parcum , sed observantissimum , in quo id unum fortè culpandum , quòd quantò modestior , tantò esset sincerior rectique ac veri pervicacior. Quæ quidem libertas , vigentibus moribus , semper laudata , iisdem inclinatis , aut prostratis , non ita probatur , sive quòd summa virtutum ferendo sumus impares , sive quòd nimis e propinquo vitia argui nolumus. Quidquid id est , maxima laus est hac ætate exstitisse virum eruditum , in quo nihil , nisi virtutem , reprehenderis.

(¹) Clarissimus DE FOUCHY , Regiæ Scientiarum Academiæ a secretis , solita laudum officia eleganter & eruditè persolvit : olim juveniliū studiorum instructor , nunc laudator. Ejusdem Academiæ focii , Cll. DE LA LANDE & BAILLY , Astronomiæ scientiâ nobiles , focium , sibi carissimum , brevioribus quidem , sed æquè sinceris , laudibus ornare.



---



---

# C A T A L O G U S

## *Operum Clarissimi DE LA CAILLE : Addita vitæ loca in quibus memorantur.*

- I. **L**ÉÇONS élémentaires de Mathématiques, ou Eléments d'Algebre & de Géométrie. *Paris. Guerin & Delatour. 1741. in-8. = Altera editio, ibid. anno 1744. in-8. = Tertia editio, ibid. anno 1747. in-8. = Quarta editio, ibid. anno 1756. in-8. = Quinta editio, omnium præstantissima, ibid. anno 1759. in-8. [ Vita Num. XVI. ]*
- II. Leçons élémentaires de Méchanique, ou Traité abrégé du Mouvement & de l'Equilibre. *Paris. Guerin & Delatour. 1743. in-8. = Altera editio auctior, ibid. anno 1757. in-8. [ V. Num. XXII. ]*
- III. Ephémérides pour les années 1745 jusqu'à 1755. *Paris. Collombat. 1744. in-4. = Pour les années 1755 jusqu'à 1765. Paris. Collombat. 1755. in-4. = Pour les années 1765 jusqu'à 1775. Paris. Hérisfant. 1763. in-4. [ V. Num. XLII. ]*
- IV. Leçons élémentaires d'Astronomie, Géométrique & Physique. *Paris. Guerin & Delatour. 1746. in-8. = Altera editio, ibid. anno 1755. in-8. = Tertia editio emendatissima, ibid. anno 1761. in-8. [ V. Num. XXII. ]*
- V. Leçons élémentaires d'Optique. *Paris. Guerin & Delatour. 1750. in-8. = Altera editio, multò amplior, ibid. anno 1756. in-8. [ V. Num. XXII. ]*
- VI. Avis aux Astronomes, par M. DE LA CAILLE, à l'occasion des observations qu'il va faire par ordre du Roi dans l'Hémisphère Austral. 4 pages *in-4. [ V. Num. XXIV. ]*
- VII. Observations faites au Cap de Bonne-Espérance pour servir à déterminer la Parallaxe de la Lune, de Mars & de Venus, par M. l'Abbé DE LA CAILLE. 12 pages *in-4. [ V. Num. XXXIII. ]*
- VIII. Astronomiæ fundamenta novissimis Solis & Stellarum observationibus stabilita. *Paris, Collombat. 1757. in-4. [ V. Num. XXXVII. ]*

IX. Tabulæ Solares. Paris. Guerin & Delatour. 1758. in-4. [ V. Num. XXXVII. ]

X. Tables de Logarithmes pour les Sinus & Tangentes de toutes les minutes du Quart de Cercle & pour tous les nombres naturels, depuis 1 jusqu'à 10800 ; avec une exposition abrégée de l'usage de ces tables. Paris. Guerin & Delatour. 1760. in-12.

XI. Traité d'Optique sur la gradation de la lumière. Ouvrage posthume de M. BOUGUER, de l'Académie Royale des Sciences, &c, & publié par M. l'Abbé DE LA CAILLE de la même Académie, &c. Paris. Guerin & Delatour. 1760. in-4. [ V. Num. XXXVIII. ]

XII. Nouveau Traité de Navigation, contenant la théorie & la pratique du Pilotage, par M. BOUGUER, revu & abrégé par M. l'Abbé DE LA CAILLE. Paris. Guerin & Delatour. 1760. in-8. [ V. Num. XXXVIII. ]

XIII. Cælum Australe stelliferum, seu Observationes ad construendum Stellarum Australium Catalogum institutæ in Africa ad Caput Bonæ-Spei. Paris. Guerin & Delatour. 1763. in-4. [ V. Num. XLII. ]

Ex Clarissimi DE LA CAILLE diariis, notisque pauculis ad ejus librorum marginem appositis, atque ex privatis ejus colloquiis, librum confarcinavit D. CARLIER, cui titulum fecit: *Journal Historique du voyage fait au Cap de Bonne-Espérance, par feu M. l'Abbé DE LA CAILLE, précédé d'un discours sur la vie de l'Auteur, suivi de remarques & de réflexions sur les coutumes des Hottentots & des habitants du Cap.* Paris. Guillyn. 1763. in-12.

*CATALOGUS ALTER Operum ejusdem Clarissimi DE LA CAILLE in Regiæ Scientiarum Academiæ actis editorum. Addita quoque vitæ loca, in quibus memorantur.*

Calcul des différences sur la Trigonométrie Sphérique. [ V. Num. XIX. ] Anno 1741.

